



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XIII. Quod si qui, vt electioni alicuius consentirent, praemium vel aliquod  
beneficium receperint, & hoc manifestum sit, aut exterius confeſi inuite  
vel legitime conuicti fuerint, ab altaris ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

C A P. XII.

*Idem venerabili fratri R. & Vuigornensi episcopo, & dilecto  
filio priori de Panteia.*

Querelam nobis monachorum de \* Atra transmissam <sup>Am</sup>  
acepimus, quod cum ipsi \* quondam mannum, quod <sup>quod</sup>  
dicitur Vella, cum pertinentiis suis, & ecclesiam de Gado-  
num a monachis de \* Gadonio sub anno canone quinde-  
cim librarum fuissent adepti, & inde chartam ab ipsis mo-  
nachis habuissent: quidam prior eorum, capitulo incon-  
sulto, præscriptum mannum & ecclesiam & chartam, de  
\* Gadonio accepta persona, resignauit, indeque præfati  
monachi de \* Atra conqueruntur se iniuste grauatos, &  
nobis imminet corrigendum, si quid minus quam rationa-  
biliter attentatur; causam ipsam experientia vestra com-  
mittimus, præsentium vobis auctoritate mandantes, qua-  
tenus partibus ante præsentiam vestram conuocatis, quæ  
hinc inde proposita fuerint diligentius audiatis, & præ-  
dictam causam, sublato appellationis remedio, concor-  
dia vel iudicio terminetis, prouisuri, quod sicut eminon  
<sup>16. Quæst. 7.</sup>  
<sup>Decimas. 1.</sup>  
<sup>quæst. 3.</sup>  
<sup>Quæstum.</sup>  
potuerunt iura, etiam nec redimi. Si vero monachi de  
\* Gadonio legitime citati ad præsentiam vestram acce-  
dere & iudicio stare contempserint: vos prædictos mo-  
nachos de \* Atra, in possessionem eorum de quibus con-  
trouersia vertitur, occasione & appellatione cessante, in-  
ducere festinetis, nec ipsos exinde permittatis absque or-  
dine iudicario molestari. Si vero vterque vestrum his  
exequendis interesse non poterit, alter nihilo minus ea  
exequatur.

C A P. XIII. *Idem Toletano archiepiscopo.*

De hoc quod rex & principes sui a Bernardo quondam  
\* Certomensi episcopo pecuniam accepisse dicuntur, vt  
eius electioni præstarent assensum, & quod idem episco-  
pus archidiacono \* Seuiensi beneficium certi redditus,  
& cuidam clero ante electionem suam prioratum dicitur  
promisisse, vt vterque eorum, archidiaconus videlicet &  
clericus, eius electioni consentirent: hoc tuæ paternita-  
ti duximus respondendum, quod si operis evidentia ma-  
nifesta astimatur, ita quod notorium est, eumdem archi-

ANNO  
CHRISTI  
1179. diaconum & clericum ob illam causam tam iniquam & detestabilem promissam rem accepisse: aut si exinde confessi fuerint in iure, vel legitime possunt ab aliquibus conuinci, ab altaris ministerio sunt perpetuo deponendi. Si vero id manifestum non est, nec inde conuicti vel confessi fuerint, & tamen postea laborant infamia, eis canonica purgatio debet indicari: in qua si defecerint, tamquam tantum sceleris autores sunt puniendi. Regem autem & principes suos solite monere debes, & diligenter inducere, ut si qua reperirent a praefato episcopo, ut eius electioni praestarent assensum, ecclesiae. \* Ceromensi sine diminutione restituant, cum ea sine graui salutis sua periculo retinere non possint.

C A P. XIV.

*Idem Eboracensi archiepiscopo scilicet legato.*

Cum essent in praesentia nostra constituti R. clericus de Ponte fracto, & nobilis vir VV. filius Godrici, pro controuersia quae vertebatur inter eos super quadam ecclesia, quam idem R. asserebat a praefato milite sibi datam fuisse: praedictus VV. qui moram diutius facere non poterat, in recessu suo dilectum filium nostrum magistrum Milonem nuntium suum, pro se in causa illa sufficientem responsalem constituit. Cumque causae cognitionem dictis filiis nostris M. presbytero tituli sanctae Luciae, & VV. tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali commissemus, ipsi vtramque partem ante praesentiam suam conuocarunt, & ab ore praefati R. intellexerunt, quod praefatus miles promiserat ei dare praescriptam ecclesiam, si quoddam negotium eiusdem militis posset in curia nostra promouere. Vnde & cum id nobis per eosdem cardinales innotuisset, nos intelligentes promissionem illam simoniacam continere prauitatem, eidem R. super ecclesiam silentium imposuimus. Ideoque fraternitatem tuam, &c. quatenus memoratum militem occasione praedictae controuersiae a prænominato R. vel aliis super scripta ecclesia grauari vel inquietari nulla ratione permittas.